



# **Specimen juridicum inaugurale de natura literarum cambialium imprimis secundum recentiorum in Germania jureconsultorum doctrinam**

<https://hdl.handle.net/1874/313269>

SPECIMEN JURIDICUM INAUGURALE

DE

NATURA LITERARUM CAMBIALIUM,

IMPRIMIS SECUNDUM RECENTIORUM

IN GERMANIA JURECONSULTORUM DOCTRINAM

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI EGBERTI VINKE,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus,**

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLENNI EXAMINI SUBMITTET

**CORNELIUS HARTSEN JACOBI FILIUS,**

AMSTELODAMENSIS,

AD DIEM XXVI JUNII MDCCCLIV, HORA I

IN AUDITORIO MAJORI.

---

AMSTELODAMI,

APUD FREDERICUM MULLER.

MDCCCLIV.

MAHON & COMPANY

NEW YORK

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY  
ASTOR LENOX TILDEN FOUNDATION

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

## MATRI CARISSIMAE

SACRUM.

Tibi, Carissima Mater, studiorum peractorum fructus offero. Parum quidem esset, si amorem atque benevolentiam, quibus inde ab infantia me amplexa es, imperfecto hocce opere retribuere vellem. Sed cum semper te erroribus meis indulgentem, conatibus ut meliora sequerer ardentem, magis animum quam effectus respicientem compertus sim, non vereor ne et hoc im-

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

MEMORANDUM

FOR THE RECORD

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

## MATRI CARISSIMAE

SACRUM.

Tibi, Carissima Mater, studiorum peractorum fructus offero. Parum quidem esset, si amorem atque benevolentiam, quibus inde ab infantia me amplexa es, imperfecto hocce opere retribuere vellem. Sed cum semper te erroribus meis indulgentem, conatibus ut meliora sequerer ardentem, magis animum quam effectus respicientem compertus sim, non vereor ne et hoc im-

perfectum contemnas opusculum. Egomet ipse hunc tibi libellum dedicavi, non quod doctrinae eminent praestantia, sed ut quem gratum animum in vita privata me significaturum esse spero, haec occasione in publico monumento inscriberem. Nam quum D. O. M. placuerit puerum me orbare patre, quumque Tibi patris partes suscipiendae fuerint, ita gravi illo munere functa es, ut patris amissi

caritatem et curas amore tuo sollicito fere compensaveris. Ita vero ut te erga me puerum atque adolescentem praebuisti, neque unquam me consiliis optimis adjuvare destitisti, etiam in futurum mihi ad majora et difficiliora vocato defuturam non esse, persuasum mihi habeo.

Praeceptoribus meis imprimisque tibi, MARTINE  
VAN DER HOEVEN, pro egregia tum publica tum





---

## CAPUT I.

---

### PRAEMONITA DE JURE CAMBIALI UNIVERSE.

---

In jure mercatorio versantibus non opus nobis erit, ingentes hujus juris proprias difficultates indicare. Jus civile multo magis unum spectat populum, et unius regionis finibus circumscribitur. Jus nuptiarum, hereditatis, aliaque multa, in civitate ubi obtinent quasi domicilium suum habent, nec saepe sine ingenti damno, maximaque invidia ad alium populum transferri possunt. Juris mercatorii vero ingenium est, omnes gentes omnesque regiones amplecti, et in plerisque ejus partibus a jure gentium hoc jus non diversum est. Si juri civili operam damus imprimis nobis necesse est, jus nostrum cognoscere, aliorumque jura eate- nus excolere, tum ut variarum gentium indolem discamus, tum ut videamus, an et quomodo jus civile nostrum aliorum contactu mutatum sit. Jus mercatorium vero omne nostrum est, omnium hominum enim negotia regit. Quare illa, quae in jure civili tarde et segniter progredi videmus, in jure mercatorio ingenti varietate, alacriter ac velut velocibus alis de loco in locum mutari videntur. Ex

quo fit, ut jus mercatorium suam propriam habeat naturam, totumque suis viribus excultum sit. Sunt qui dicant jure mercatorio exceptiones juris civilis contineri. Illud vero nimis generaliter dictum. Si enim illud tantum significare volunt, multas contractuum formas inesse juri mercatorio, quae ab aliis quae in jure civili occurrunt prorsus dissimiles non sint, assentientem me habent; sin existiment, jure civili semper regulas, mercatorio exceptiones contineri periculosa et erronea haec est opinio. Duae enim sunt juris formae, utraque variarum concursu rerum distinctae. Quin, juris mercatorii multae sunt partes, quarum similitudinem nequidquam in jure civili quaeras. In his imprimis duo sunt loci maximi momenti, nempe jus assecurationis et jus cambiale. Illud nunc ad nos non pertinet, de hoc pauca dicere conabimur. In jure cambiali imprimis perspicuum fit, ut hoc loco digito tantum attingamus quod deinde copiosius tractabimus, sententiam eorum, qui censent, jus mercatorium esse exceptionem juris civilis omnesque formas juris mercatorii in jure civili fundamentum suum habere, ducere ad opiniones maxime falsas, erroneas, quin noxias. Jus cambiale est jucundissima pars juris mercatorii, sed etiam difficillima. Res est vetus, jam diu apud omnes gentes humaniores cognita, mercaturae quasi vena, et tamen, quod nobis sane mirum videtur, ejus de natura saepius dubitatum est, et adhuc dubitatur. In ipsius quasi mercaturae gremio natum, jurisconsultis medii aevi in manum venit, qui illud ad contractus juris Romani exegerunt, quibuscum vix ac ne vix quidem aliquid commune habebat. Illa Jctorum conata secti sunt legislatores et lex, quae vulgo vocatur Ordonnance du Commerce Ai. 1673, illorum virorum doctorum opiniones auctoritate sua sanxit. Illud vero vinculis istis coerceri noluit, liberoque cursu praeter legem ingressum est, ita ut jam

ipsi legislatores exiguam vim legis esse, multaue in fraudem legis vel contra legem fieri faterentur. Postea ipse legislator mercaturae necessitati magis consuluit, sed nimio studio suae sententiae ductus, cum desistere ea nollet, plurima sanxit, quae rei naturae quidem, at fundamento in capite legis posito minus congruerent. Auctoritate juris Romani autem paullatim minuta, suas quisque leges condere coepit et undique orta sunt corpora legum, singulis civitatibus adaptata, quae quamquam auctoritate juris Romani velut perfecti speciminis nixa, tamen multa, quae et mutata hominum ingenia, et alius rerum ordo nova induxerant, sanxerunt. Ita paullatim praestantissimi Jcti juri cambiali accuratius operam dedere, et novis disquisitionibus novae sententiae, novaeque quaestiones sunt ortae. Quenam esset natura, qualis esset usus literarum cambialium? quid ageretur in emissionem cambii? literaene ipsae essent praecipuum, an tantum efficerent negotium adjectitiae qualitatis? utrum sententia eorum, qui contractus cambialis originem et fundamentum ex emptione venditione, mandato aliisque petunt, verum esset an falsa? verba, quibus literae concipiuntur, aliudne significarent, quam ipsa exprimerent, an verbum de verbo interpretanda essent? Haec et alia jamdiu tum ab aliis, tum maxime a praestantissimis Germaniae Jctis agitata, publicam nacta sunt gravitatem, postquam in Germania, omnibus unum corpus legum, praesertim in rebus mercatoriis cupientibus, a lege cambiali, Allgemeine Deutsche Wechsel-Ordnung inscripta, opus illud inceptum est. Tum etiam multa falsa per longum tempus credita multaue vera diu ignorata in lucem sunt edita, adeo ut nunc EINERT, vir doct. dicenti, nullam esse juris partem tam neglectam, quam jus cambiale, adversari possimus et contra statuere, haud multas esse partes juris




mercatorii, tanta praestantissimorum virorum doctrina illustratas.

Priusquam autem eorum opiniones cognoverimus, fortasse non inutile erit pauca dicere de investigationibus, quas instituerant viri docti ut originem literarum cambialium indagarent. Jam diu spreta est vetus illa opinio literas cambiales originem a Graecis Romanisque habere. Quae enim specimina in Isocratis Trapezitica et in Ciceronis epistolis invenimus tam parvi sunt momenti, eorumque natura tantum distat a vero negotio cambiali, ut vix aliqua affinitas inter ea esse videatur. Plerique viri docti nunc in hac re consentiunt literas cambiales antiquioribus populis ignotas fuisse <sup>1</sup>. Nam sine dubio nonnumquam negotia apud illos videmus, quae cum negotio cambiali aliquam habere affinitatem videantur, sed quas ante omnia quaerimus, literae cambiales apud illos non inveniuntur. Alia est opinio Florentinos, a Guelfis patria pulsos, Amstelodamum confugisse, ibique literis cambialibus, quibus nomen *polizza di cambio* dederant, primos usos esse. <sup>2</sup> Nonnulli etiam Judaeos cambii inventores esse censent, anno 1181 a PHILIPPO AUGUSTO Francia pulsos. Alii tandem literarum cambialium originem a civitatibus Italiae, mercaturae florentibus, petunt. In hac autem investigatione EINERT, vir doct., assentimur dicenti nos semper hac in re incertos mansuros. Non enim satis apparet, quid nobis literarum cambialium originem investigantibus primum sit quaerendum; quin specimina, quae nos prima habemus, ad formam jam excultam negotii verosimiliter pertinent.

---

<sup>1</sup> Cf. SAVARY, Dict. univ. de Commerce, v. Lettre de Change. POTHIER, traité du Contrat de Change. MERLIN, v. Lettre de Change. LOCRÉ, Esprit du Code de Commerce. VISSERING, het Wisselregt der XIX eeuw.

<sup>2</sup> CLAUDE DE RUBIS, Histoire de la ville de Lyon.



---

---

## CAPUT II.

---

### ANTIQUIORES DE NATURA LITERARUM CAMBIALIUM OPINIONES.

---

#### § 1. *Antiquissima Jureconsultorum sententia.*

Quamquam, literarum cambialium usu, non satis a JCtis perspecto, jus cambiale perperam, ad Juris Romani maxime normam exigeretur, tamen magni in historia iuris cambialis momenti sunt scripta iuris interpretum, qui primi de iis agere coeperunt. Eminent inter hos, adeoque eorum agmen agit BALDUS, dignus omnino, de quo plenius ageret v. clariss. HOLTIVS in opusculo in scriptis Instituti Regii, quod Amstelodami fuit, classis tertiae, edito, cui titulus est: *Het Wisselregt in de XIV eeuw naar de Consilia van BALDUS.*

BALDUS in illis consiliis suas de natura literarum cambialium opiniones profitetur, illiusque Celeberrimi JCti sententiam ab omnibus probatam fuisse valde verosimile est, quare illius opiniones illis temporibus et omnium fuisse

existimare possumus. BALDUS literis cambialibus literarum obligationem contineri censet, secundum regulam “stabiles et firmæ debent esse mercatorum scripturæ”, quæ de omnibus mercatorum scriptis ideoque et de cambio valebat. Illius generis obligationes præsentem magistratu olim contrahi solebant, eoque facto authentica gaudebant natura. Campsores vero, qui munere publico fungebantur, ideoque personæ publicæ habebantur, ipsa vi muneris, scripturis suis, et quod ad probationem et quod ad strictiorem juris formam attinet, instrumentorum publicorum vim addiderunt, quæ paullatim vis omnibus mercatorum scripturis tributa fuit. Illud intelligitur ex verbis BALDI, qui ita memorat: “Dictam scripturam executioni mandari, petens procedi secundum formam statutorum et maxime statuti positi sub rubrica, de scripturis mercatorum et campsorum..... quia scriptura mercatorum et campsorum habetur pro sententia et ut ita dixerim sua fide transit in rem judicatam.” Brevior igitur et strictior juris forma non est contractus cambialis sed literarum ipsarum cambialium proprium, quia mercatorum sunt scripturæ.

§ 2. *Sententia quæ auctore potissimum HEINECCIO seculo septimo decimo passim per Europam recepta fuit.*

HEINECCIUS Vir Cl. celeberrimum de negotio cambiali librum conscripsit, cui titulus est: *Elementa juris cambialis*, cujus tanta auctoritas erat, ut in Polonia vim legis obtinuerit <sup>1</sup>.

---

<sup>1</sup> In quanta fuerit existimatione ex multis editionibus, quæ hujus libri exstant, conspicuum est. Amst. 1742. primum est editus. 2. Venet. 1766. 12°. 3. Wittemb. 1748. 8°. 4. Genevæ 1748 4°. 5. Francof. 1756 8°. 6 No-



HEINECCIUS omnes scriptores vituperat, qui negotium cambiale, ad quod contrahendum tam multa concurrunt, ad unum contractuum genus reducere cupiunt, atque existimat, ab omnibus, nisi volentes caeci forsitan sint, intelligi debere, negotium illud ex pluribus constare contractibus. Neque minus illos reprehendit, qui contractum illum e Jure Romano petere cupiere, quamvis multa negotia apud nos sint orta, quae Romanis plane ignota fuere, ut, puto, assecuratio, aliaque, quae ipse PAPIANUS, quamquam maximus Jctus, ignota sibi esse, sine dubio profiteretur. Opinioni autem assentitur HEINECCIUS, contractum cambialem ex diversis negotiis esse conflatum<sup>1</sup>.

Primum ita inter trassantem et numerantem adest negotium, quo hic pecuniam aliquam dat, ut ab altero accipiat literas cambiales, quibus pecuniam accepisse se profiteretur, illamque alio loco redditurum se profiteretur. Illud negotium literarum obligationi valde simile est<sup>2</sup>.

Si illi sententiae quis objicere vellet, scripturam magis ad formam, quam ad naturam cambii pertinere, et ex illo quoque obligationem nasci, si probari potest, contrahentes se obligasse, pecuniam uno loco solutam alio reddere, jure tamen contendere posset, illo casu obligationem quidem, nullum vero nexum cambialem ortum esse.

Neque illud sententiae obstat, quod a nonnullis dictum est, literis cambialibus ideo literarum obligationem non contineri<sup>3</sup>, quod:

---

rimb. 1764. 8°. Optima cum Reitzii annot. Middelburg. 1766. 8. aucta, 1774. 8°. , lingua Germana translata a G. F. MÜLLER, 1781.

<sup>1</sup> Quod jam docuit SCHILTER, Exerc. ad Pand. XXXII. § 10. STYPMANN, de jure marit. Part. IV. Cap. 8. § 42.

<sup>2</sup> Cf. BÖHMER, de Act. Sæct. II. Cap. IX. § 16. Tit. Jur. Priv. Lib. X. cap. 5. § 53.

<sup>3</sup> STYPMANN, de jure marit. part. IV. Cap. VIII. § 40.



1. literarum pretium non solvatur ab eo, qui illas conscripsit.

2. solutio non fiat, quia cambium scriptum, sed quia pecunia numerata est.

Nam, quod ad primum attinet respondemus illum jure solvere, qui per alium solvit<sup>1</sup>, et quod ad secundum, trassantem non obligari, quia pecuniam acceperit, sed quia cambium subscripserit, quo pretium se accepisse professus est, uti etiam jure cambiali exceptio non numeratae pecuniae non datur, nisi statim probari possit.

Inter trassantem et numerantem igitur negotium contrahitur, quod literarum obligationi valde simile est.

Alia obligatio inter trassantem et trassatum, illaque mandato valde similis est; nam acceptans, mandato suscepto, pro alio solvere debet, ideoque alterius rem gerit.

Indossamento inter indossantem et indossatum contractus emtionis venditionis, mandati, donationis vel alii nascuntur.

§ 3. *Sententia, cujus auctor habendus est DUPUYS DE LA SERRA, quae Heineccianam doctrinam exceptit.*

Postea et imprimis in Gallia alia via Jcti sunt ingressi. Opinio literis cambialibus literarum obligationem contineri sensim paulatimque minorem vim obtinuit. Quo factum est, ut non literae ipsae praecipuum essent, sed illud maxime spectandum esset negotium, quod ab Jctis contractus cambialis (Contrat de Change) vocatur, cujus contractus literae cambiales essent documentum. Literae ipsae non adeo per se atque sua sponte vim aliquam habere videbantur, sed antecedentis contractus continere sequelam, et modum indicare, quo trassans sive literarum venditor obligationi satisfacere

---

<sup>1</sup> l. 56. 87. D. de solutt (46. 3).

promisisset. Politicae insuper rationes adduxerant homines ad opinionem speciali pacto de cambiando opus esse. Nam illud, quod cambium proprium vocatur, ubi trassans se ipse soluturum esse promittit, in Gallia semper maximo fuit in odio; antiquioribus enim temporibus cambio proprio vocato uti multi solebant, ut majores usuras, quam lege esset concessum, caperent. Non mirum igitur, opinionibus e Jure Canonico natis adhuc vigentibus, quasi ipsum illud usuras capere jam per se aliquid turpe esset, illud cambii genus maximo in odio fuisse, quare et a MARESCHAL antiquo scriptore <sup>1</sup> hisce verbis vituperatur “La troisième espèce de “change qu’on peut nommer après les casuistes Cambium “siccum nescio qua ratione, puisque par icelui autant qu’au- “tres on tire la substance, c’est à dire l’argent et moyens “des personnes qui en souffrent sur eux patiemment l’usage “mais nous l’appellerons adultérin parcequ’il ne peut-être “advoué légitime ni lycite entre marchands moins entre “autres personnes, et que messieurs les gens du parlement, “l’ont qualifié en pleine audience, usure abominable et in- “fâme pratiquée au pied du palais, au préjudice même des “finances du roy, ce sont leurs propres paroles. Aussi “a-t-il pris sa naissance de Pluton à Proserpine à l’ysse “des guerres de la Ligue n’étant paru ni usité, que depuis “ycelles.” Cambium illud adulterinum vero nihil aliud erat, quam illud, quod vulgo Cambium siccum vocatur. NOUGUIER hisce verbis illius Cambii usum explicat. “Il “était autrefois des individus, qui prenaient le nom de “courtiers de change et que l’on peut assimiler à nos cour- “tiers de commerce. Ces courtiers allaient s’enquérant des

---

<sup>1</sup> MARESCHAL, Traité des changes et rechanges et banqueroutes A°. 1625. Cf. NOUGUIER, des Lettres de Changes et des Effets de Commerce en général. Bruxelles 1840. p. 10 sqq.

“personnes qui avaient des deniers à placer et leur propo-  
“saient de prêter une certaine somme remboursable à une  
“époque fixe, et productive d’un énorme intérêt. Leur  
“droiture et leur habilité consistaient à ne faire prêter,  
“qu’a des debiteurs de bonne foi; car on va voir par la  
“nature de l’opération, que le sort du prêteur était dans  
“les mains de l’emprunteur. Le courtier fournissait la pro-  
“messe de quelque notable marchand, partisan ou autre:  
“mais le nom du créancier était connu de lui seul: la place  
“de ce nom restait et devait rester en blanc. En effet  
“comme l’on prêtait à un intérêt excessif, les financiers,  
“les comptables de deniers publics ne pouvaient consentir  
“à figurer dans une semblable opération. Qu’arrivait-il si  
“le courtier avait été deshonnête ou inhabile, le paiement  
“était refusé, le créancier de peur de se compromettre en  
“faisant connaître son trafic usuraire ne pouvoit poursui-  
“vre et perdait ainsi le capital qu’il avait déboursé. Il exi-  
“stait encore d’autres motifs plus graves peut-être. Ceux  
“qui recourraient à de semblables emprunts étaient des  
“personnes, qui souscrivaient aux conditions les plus du-  
“res; des fils de famille des partisans, des négociants gé-  
“nés, qui, pour rembourser, ruinaient leurs parents, com-  
“mettaient des rapines et faisaient banqueroute. En con-  
“séquence, ce nouveau change excita une clameur telle,  
“que c’est chose curieuse aujourd’hui de voir comment il  
“était traité par les anciens auteurs. Il était considéré  
“comme l’une des plaies de l’époque et comparé aux actions  
“et aux maladies les plus honteuses. Aussi, proscrit avec  
“indignation et défendu par les lois civiles et religieuses  
“il n’était presque plus connu en 1673 <sup>1</sup>.”

---

<sup>1</sup> DUPUY DE LA SERRA, l’Art des lettres de change. “La troisième



Ex illis igitur documentis videri potest, in quanto odio fuerit cambium siccum, ideoque non mirum est, numquam ad illam recentiorum venisse opinionem JCtos, cambia tras-sata et sicca ejusdem esse naturae, sed contra statuuisse il-lud tantum cambium vim aliquam habere, ubi alter solvat, quod alter promiserit, et ubi acceptans et trassans distinctae sint personae. Illud vero non semper locum habere jam docuit HEINECCIUS <sup>1</sup>.

Ita et politicis rationibus magis confirmata est opinio, traditioni literarum cambialium peculiarem contractum ante-cessisse oportere, ut ita omnis fraus adversus illas leges, quae usuras vetarent, evitaretur. Inde etiam illud tantum explicari potest, quod nonnulla praecepta legis Cambialis a JCtis inprimis Gallicis, nonnumquam defenduntur hisce verbis; "*alioqui non esset contractus cambialis*" <sup>2</sup>.

---

espèce est une imitation ou pour mieux dire, une fiction de la seconde espèce (cambii scilicet trassati), mais en effet un prêt usuraire, que les docteurs appellent change sec ou adultérin, lequel est reprové par les bulles des papes; il n'est pas connu en France: *il n'en sera pas parlé pour ne pas l'enseigner.*" NICOLAI de Passeribus: Cambia sicca prohibita sunt per constitutiones PII IV et PII V, item in regno Lusitaniae per Pragmaticam regis SEBASTIANI.

Item per decreta CAROLI V et PHILIPPI regis Hispaniarum.

Item per Senatusconsultum majoris consilii hujus serenissimi domini.

Sunt damnata etiamsi fiant pro subveniendo alicui in indigentia et pro-prio opere faciendo.

<sup>1</sup> Grondbeginselen van het Wisselrecht, ed. REITZ. Middelburg 1774, p. 489. Gelijk er meerder personen bij den wissel somwijlen komen, kan men aan den anderen kant niet twijfelen of er kunnen ook minder per-sonen zijn, b. v. een koopman van Amsterdam kan een winkel of pak-huis te Hamburg hebben, gevende mij, wanneer ik derwaarts vertrek, een wissel op zijn factoor; in dit geval heeft de wisselhandel slechts tus-schen twee personen plaats, naardien de koopman van Amsterdam zelf trekt en door zich-zelven betaalt.

<sup>2</sup> e. g. PERSIL, de la lettre de Change et du Billet à Ordre, p. 38.

Antiquiores opiniones de contractu cambiali fere omnes e forma verbisque literarum cambialium petita<sup>e</sup> sunt, quumque ex illis appareat tres maxime personas in illo negotio concurrere, trassantem, qui numeranti literas tradidit atque invicem pretium ab eo recepit, numerantem, qui trassanti pretium solvit, et acceptantem, qui quasi congrua responsione mandatum suscepit trassantis possidenti literas solvendi, magnam operam impenderunt Jcti, ut varios illos contractus bene definirent. Alii depositum, alii mutuum, alii commodatum, alii aliud esse censuerunt. Sed magis invaluit opinio, negotium cambiale ex variis constare negotiis inter varias personas, quae concurrunt ad negotium conficiendum, inprimis inter trassantem et numerantem, trassantem et acceptantem, numerantem et acceptantem<sup>1</sup>. Contractum igitur Cambialem cujus literae cambiales sint probatio esse inter trassantem et numerantem, et quidem Contractum ubi ego pecuniae summam, quam uno loco acceperim tibi alio loco me soluturum promittam. Ad illud perficiendum acceptantem semper trassantis debitorem esse

---

N<sup>o</sup>. 20. ad Ord. 1673. Tit. V. Art. 1. S'il n'y avait pas une indication de la valeur fournie, il n'y aurait pas contrat de change parcequ'il n'y aurait pas présomption de la cause à l'engagement.

<sup>1</sup> Cf. HEINECCIUS. Derhalve heeft men met meerder regt aangemerkt, dat de wisselhandel uit meer dan ééne en van elkander onderscheidene overeenkomsten besta.

LOCRÉ I, p. 330. L'autre opération de change, qu'on nomme cambium locale, mercantile, trajetitium constitue le contrat de change proprement dit, par lequel une personne s'oblige de faire payer dans un lieu déterminé la somme qu'elle a reçue dans un autre pour faire cette remise. C'est là le contrat, qui s'exécute au moyen de la lettre de change.

NOUGUIER, p. 13. Le contrat de change étant un transport, une vente ou échange de commerciaux il ne faut donc pas confondre le contrat et la lettre de change.

oportere credebant, ex qua opinione variae dispositiones de provisione sunt ortae.

Inter JCtos antiquiores, qui opiniones illas de natura literarum cambialium professi sunt, DUPUYS DE LA SERRA, Vir Celeb. inprimis conspicuus est. Librum conscripsit, ut illam juris partem in Gallia minus excultam, plerisque valde obscuram visam, plenius ac melius, quam adhuc factum esset, explicaret, illudque opus tanta doctrina atque elegantia ad finem perduxit, ut ei ab omnibus posterioribus JCtis tamquam arbitro creditum sit. Contractus Cambialis secundum illius sententiam in duo distincta negotia dividi potest. Primus Contractus est inter trassantem et numerantem, ex quo quidem contractu literarum cambialium naturam petere debemus: secundus est, tum inter trassantem et trassatum, quo mandatum constituitur, tum inter numerantem et possessorem. Variae sunt opiniones de natura contractus inter trassantem et numerantem.

Sunt, qui censeant mutuuum esse. Quae opinio minus recta videtur, nam:

*a.* Effici non potest, quis tandem contrahentium, in vero nempe illo cambio, quod ex uno loco in alterum est trassatum, mutuuum accipiat. Nam in mutuidatione illum, qui accipit, primum pecuniam accipere, ut alio tempore reddat, necesse est. In cambio autem ille, qui cambium dat, nonnumquam statim pretium accipit, saepe vero longo tempore post, cambii traditione, ei solvitur. Si igitur contendere velimus literis cambialibus mutuuum contineri, trassans uno tempore mutuuum daret, altero acciperet, quod absurdum est.

*b.* In mutuodatione eadem specie solvendum est, quod in contractu cambiali fieri non potest, quia in variis regionibus pecunia non eodem gaudet pretio.



*c.* In mutuidatione numquam minorem, quam accepimus, summam reddere possumus, sed in contractu cambiali, illi qui accepit cambium minor quam dederat summa saepe redditur.

*d.* Mutuum in favorem fit accipientis, contractus vero cambialis in utriusque commodum; nam et illi, qui pecuniam numerat, ut alio loco sibi reddatur, et illi, qui pecunia accepta cambium tradit, aequae favetur.

Alii contractum innominatum do ut des contractum cambialem esse censuerunt; quae vero opinio jam exinde falsa esse intelligitur, quia contractus cambialis (contrat de change) nomen huic tantum contractui proprium est. Nonnulli contractum cambialem pecuniae permutationem esse censuerunt; sed illa opinio, quae genus tantum indicat, nobis speciem quaerentibus satisfacere non potest. Alii tandem contractum cambialem inter trassantem et numerantem emtionem venditionem esse censent. Nam ille, qui literas tradit, accipienti nomen vendit. In hoc tantum contractus cambialis ab emtione venditione differt, quod pecunia pecuniâ emitur; illa vero differentia sententiae contractum cambialem emtionem venditionem esse non obstat nam:

*a.* Omnis res, cujus pretium diversis locis temporibusve mutatur, vendi potest, quod et in pecunia obtinet.

*b.* Omnis res, quam permutare possumus, et vendi potest, unum pecuniae genus contra aliud saepe permutatur.

*c.* Omnia, quorum pretium pecunia aestimamus vendere possumus, quod et in pecunia usu venit.

*d.* Contractus cambialis potius cessio vel emtio-venditio nominis, quam pecuniae est, neque dubitatur, quin nomen vendi possit.

Contractum cambialem ita definire possumus:

Contractus est juris gentium, nominatus bonae fidei,

consensu perfectus, quo numerans trassanti pecuniam solvit, ut trassans ei literas tradat, quibus efficitur, ut alio loco pecunia ei solvatur.

*Juris Gentium.* Nam ex mercaturae necessitate natus, ab omnibus gentibus usurpatur.

*Nominatus.* Nam nomen cambialis (change) huic uni contractui peculiare est.

*Bonae fidei.* Nam in omnibus mercaturae negotiis bona fides suprema lex est, et praeterea contractus emtionis venditionis, cui cambialis similis est, cujusque naturam sequitur, bonae fidei contractus habetur.

*Consensu contrahitur.* Nam et emtio venditio contractus est consensu perfectus. Sed consensum illum probari necesse est, quam probationem literae cambiales efficiunt.

§ 4. *Doctrina quam tradunt tum alii tum*

J. F. MARTENS *de nostro argumento.*

In Germania quum perspicuum esset, non esse ex jure Romano petendam originem et naturam literarum cambialium, aliam viam ingressi sunt viri docti, ut invenirent, quae vera earum esset natura. Tunc ad illud praecipue animum advertent in quo Jus Cambiale a Jure Romano esset distinctum, et hoc in eo invenisse sibi videbantur, quod vulgo rigor Cambialis vocatur. Jamdiu enim illud discrimen juris cambialis ab aliis juris civilis negotiis animadversum erat, quod in eo severior strictiorque juris forma adhibebatur, quae apud nos etiam obtinet et manus injectione quadam adeoque corporali apprehensione continetur, quae apud nos *lijfsdwang*, in Gallia *contrainte par corps* vocatur. Illa strictiore forma jus cambiale ab omnibus juris civilis negotiis differre putabant, atque unius juris cambialis hanc pro-



priam esse censebant. Ita MARTENS vir Celeberrimus egregium librum conscripsit: *Versuch einer historischen Entwicklung des wahren Ursprungs des Wechselrechts*, quo revera inquisitio continetur, quomodo strictior illa juris forma, quae rigor cambialis vocatur, sit orta atque exulta. Medio aevo, periculosis et incertis itineribus, neque literas mittendi opportunitatibus satis exultis, difficillimum erat literis conscribendis negotia gerere. Erant igitur loca usu et celebritate definita, ubi certis temporibus mercatores ad negotia gerenda convenire solebant. Concursui illi feriarum (missen) nomen datum est. Omnes feriae in illo inter se similes erant, quod in illis inter multa alia privilegia, quibus mercaturae favebatur, et in omnibus contractibus strictior severiorque juris forma adhiberetur.

Ex illo privilegio rigor cambialis natus esse videtur. Literae enim cambiales in feriis natae sunt ex negotio campsororum, qui semper in illis feriis aderant, ad pecuniam pecunia permutandam aliaque negotia gerenda. Si quis pecuniae genus habebat, quo non uti poterat ad solutiones faciendas, campsores pecuniae permutandae causa adire solebat, quam pecuniam saepe apud campsores deponebat, domo sua ei minus tuta visa. Si postea ei solutiones faciendae erant, creditoribus chartas tradebat, quibus campsores certam solvere summam jubebat, atque ex illis chartis cambialia trassata sunt nata. In illo negotio, tamquam occasione feriarum contracto et strictior juris forma adhibebatur, quae forma et recentioribus temporibus in negotio cambiali mansit.

Opinio autem rigorem illum negotio cambiali ante omnia proprium esse, jam ob duas has causas falsa est. Primum enim, si rigor ille negotio cambiali ante omnia alia proprius est et, ut ita dicam, essenziale cambii constituit, in omnibus regionibus, ubi literis cambialibus utimur, idem sit,

necesse est. Sed non in omnibus civitatibus idem rigor in negotio cambiali adhibetur. TREITSCHKIUS inter formas illius rigoris distinguit, quarum una severior, alia lenior, tertia media inter eas est. Non omnes igitur Germaniae populi, ut ex ea TREITSCHKII opinione discere possumus, illo rigore utuntur, ut debitor creditorem, qui non solvendo est, in vincula possit conjicere, quia in nonnullis civitatibus forma est, quae non multum a solita forma civili differt. Sed praeterea rigor ille non unius juris cambialis proprius est. MONTESQUIEVUS <sup>1</sup> enim, Vir Cel. jam docet illud peculiare juris remedium mercaturae necessarium esse ad fidem in negotiis mercatoriis tuendam. Ita etiam in legibus Anglicis sancitum est, quod BAYLE-MOULLARD in opere suo, *sur l'emprisonnement pour dettes*, nos docet <sup>2</sup>; in Saxonia olim *Marktrescript* 25 Juli 1621, item

---

<sup>1</sup> Esprit des Loix, X, Cap. 5. Solon ordonna à Athènes qu'on n'obligerait plus le corps pour dettes civiles. . . . .

Cette loi est très bonne pour les affaires civiles ordinaires, mais nous avons raison de ne point l'observer dans celles du commerce. Car les négocians étant obligés de confier de grandes sommes pour des temps souvent fort courts, de les donner et de les reprendre, il faut que les débiteurs remplissent toujours au tems fixé leurs engagements: ce qui suppose la contrainte par corps.

<sup>2</sup> BAYLE-MOULLARD, sur l'emprisonnement pour dettes. Paris 1835. illis verbis de contrainte par corps apud Anglos loquitur: C'est dans le pays où l'on professe le plus de respect pour la liberté individuelle, qu'elle est le plus facilement sacrifiée aux intérêts pécuniaires. Il ne faut pas même un jugement pour faire incarcérer un débiteur, il suffit de quelques actes simulés, pour mettre un citoyen hors de la loi. Anciennement on n'arrêtait pas un défendeur dans les affaires civiles, il recevait seulement une citation pour comparaître en justice, et même en cas de défaut on ne procédait contre lui, que par la saisie de ses biens. Sous EDOUARD I on statua, pour la première fois que pour les actions de compte le défendeur serait arrêté, lorsqu'il ne comparaitrait pas ou lorsqu'il serait insolvable. Sous EDOUARD III une disposition semblable fut introduite pour les actions de dettes et de restitution de dépôt. Sous HENRI VIII on l'étendit aussi



in Francia legibus 15 *Germ. an VI*, 17 *Avril* 1832, ille rigor in omnibus rebus mercatoriis sancitur. Sed etiam fieri potest, ut quum quis ad literas cambiales solvendas obligatus sit, tamen rigor contra eum non sit admittendus. Heres enim debitoris solutionem literarum cambialium, quas acceptaverat defunctus, praebere debet, neque tamen rigore cambiali contra eum uti potest creditor. Nemo vero dicet, literas cambiales morte debitoris esse extinctas. Sed inprimis etiam intelligitur illam opinionem non recte sese habere, ubi ea utimur ad naturam literarum cambialium explicandam. Systema enim de jure cambiali quaerentibus necesse videbatur, illas proprias qualitates quaerere, quae et ad cambium trassatum, apud nos *cambium* proprie dictum, et ad illud genus cambii spectarent, quod in Germania *eigener Wechsel*, Italico vocabulo *Cambio secco*, apud nos *Orderbriefje* vocatur, de quo genere cambii in Codice nostro paragrapho peculiari tractatum est, quamvis revera a cambio ordinario illud non differre nonnulli contendunt. In illo enim facile est ad demonstrandum rigorem cambialem ipsam esse naturam literarum cambialium, si scilicet earum naturam ita explicamus, ut istis literis alii negotio, emtioni venditioni, mutuidationi aliisque solutionis accedat promissio, quae debitorem strictiori vinculo adstringit, et ita creditori majorem securitatem praebet, facilioremque facit viam jus suum persequendi. Ita cambium siccum inter negotia adjectitiae qualitatis, sicut pactum hypothecae aliaque, refer-

---

aux actions d'après le cas. Mais comme si toute limite imposée par la loi avait dû être un frein insupportable pour les légistes anglais, ils ne purent même s'entendre à ces principes, et au moyen de fictions ils finirent par établir comme règle générale que tout défendeur à une action personnelle serait arrêté sans aucun préliminaire de citation et sans qu'il fût besoin de prouver son insolvabilité.

tur. Ea vero ratione cambium trassatum explicare est difficilius. In cambio trassato, ex opinione omnium JCtorum, quorum fere sententia ipsa literarum forma nititur, quibus scilicet mandatum contineatur trassantis, ut trassatus certo tempore et loco pecuniam praescriptam solvat, cambium ipsum negotium speciale gignit, et in illius negotii naturam, cui rigorem cambialem adhibere debemus, ipsam inquirere nos oportet, ut in illo cambium cognoscamus. Hic igitur in cambio negotium adjectititiae qualitatis non videmus, sed negotium ipsum, quod rigori speciali obnoxium est, jam est negotium cambiale, nullo alio contractu antecedente. Ad illud explicandum confugerunt ad opinionem, negotium ipsum cambiale contractum specialem esse, cujus literae cambiales documentum praebeant.

§ 5. *Corollarium.*

In Gallia JCTi praecipue sententiam a DUPUYS DE LA SERRA prolatam secuti sunt. Secundum sententiam LOCRÉ, literae cambiales numquam mandatum modo, uti POTHIER<sup>1</sup>, neque cessionem tantum, uti JOUSSE<sup>2</sup> voluit, gignunt, sed multi ex illis contractus nascuntur pro variis contractantium qualitatibus. Inter trassantem et numerantem probationem et executionem contractus cambialis efficiunt, inter tras-

<sup>1</sup> POTHIER, traité du Contrat de Change N<sup>o</sup>. 3. La lettre de Change, est une lettre revêtue d'une forme prescrite par les lois, par laquelle vous mandez au correspondant, que vous avez dans un certain lieu, de m'y compter ou à celui, qui aura mon ordre, une certaine somme d'argent en échange d'une somme d'argent ou de la valeur, que vous avez reçue ici de moi, ou réellement ou en compte.

<sup>2</sup> JOUSSE, Observations générales placées en tête du titre II de l'Ord. de 1673. La lettre de change est une cession ou transport d'une somme d'argent, que le tireur de la lettre fait à celui au profit de qui il la tire, ou à l'ordre de ce dernier, pour être payée par le correspondant de ce tireur dans un autre lieu que celui d'où la lettre est tirée.



santem et acceptantem mandatum gignunt. Si dominium eorum transfertur, illis personis duae aliae accedunt, possessor (porteur) et indossatus. Indossamento literarum dominium transfertur. Quum acceptans semper trassantis debitor esse crederetur, indossamentum inprimis cessionem nominis esse credebant Jcti, tum autem fidejussionem, quia et indossans pro acceptatione et solutione teneatur.

In nostra lege easdem opiniones secuti sunt legislatores, quod jam intelligitur ex hisce articuli 100 verbis: Een wisselbrief is een geschrift uit eene plaats gedagteekend, waarbij de ondertekenaar iemand last geeft om eene daarin uitgedrukte geldsom, in eene andere plaats op of na zigt, of op eenen bepaalden tijd aan een aangewezen persoon of aan deszelfs order te betalen, met erkenning van ontvangene waarde of van waarde in rekening. Ille articulus, ut voluit legislator, definitionem praebet literarum cambialium, sed uti recte dicit KIST Vir. erud. potius propria cambii, quae in Code de Commerce separatim enumerantur, una perpetua docet sententia. Jam ex deliberationibus ordinum generalium apparuit, quantum vim habuerit opinio, contractum cambialem literarum cambialium emissionem gignere atque ab iis distinctum esse, in oratione BEELAERTS VAN BLOCKLAND, viri ampliss<sup>1</sup>.: Ondertusschen is de alhier beschreven wisselbrief niet het wisselcontract zelf, maar is daarvan het resultaat. In definitione Contractus Cambialis POTHIER Vir. Cl. sequitur. In primo legis specimine A<sup>i</sup>. 1822 contractus inter trassantem et numerantem emtio venditio esse dicebatur<sup>2</sup>; ille vero articulus in nostram

---

<sup>1</sup> Cf. VOORDUIN.

<sup>2</sup> Ontw. 1822. Art. 10 Tusschen den trekker en den nemer bestaat eene handeling van koop en verkoop, wanneer de trekker den wisselbrief afgeeft en de nemer denzelven verkrijgt tegen voldoening van eenen bepaalden prijs.

legem non receptus est, quare et nunc **LOCRE**, Vir Clar. opinionioni assentiri lex nostra videtur, inter trassantem et numerantem contractum esse cambialem. Ceterum inter trassantem et acceptantem mandatum esse totidem verbis expressum est (Art. 140) et Art. 130 docemur indossamentum literarum cambialium cessionem efficere.

---

---

### CAPUT III.

---

#### RECENTIORUM DE NATURA LITERARUM CAMBIALIUM DOCTRINA.

---

NOstris temporibus Germania legislationis unitatem cupiente, multi viri docti animum denuo ad jus cambiale attenderunt et ad prorsus alias opiniones adducti sunt, quam tea vim habebant. In hac investigatione, tres viri docti inprimis praeclari sunt, EINERT, THÖL et LIEBIG. Illi varias de natura cambii opiniones emisere. In hac una re autem sunt consentientes, literas cambiales non esse documentum contractus cambialis, et igitur doctrinam, quam Codex mercatorius Napoleontis quique eum hoc nomine secutus est, Codex mercatorius noster, expressit, maxime probant.

#### § 1. *Exponitur doctrina v. doctiss. EINERT.*

Inter laudatos juris interpretes inprimis clarus est EINERT, vir. doct., qui et novitate systematis et plenitudine, qua opiniones suas illustravit, de juris cambialis studio bene



meruit. EINERT historicam rationem, quam in aliis juris partibus secuti sunt JCTi, reprehendit. Fieri non potest secundum eius opinionem, ut ita ad bonum exitum perveniat, quia de origine literarum cambialium in obscuro sumus semperque erimus, nisi fortasse fontes nunc ignoti nobis aperiantur. Valde verosimile est jus cambiale in forma sua antiquissima a privatis esse inventum, quod jus, magno discrimine, quod tunc inter mercatores aliusque ordinis homines erat, praeter Jus Scriptum, ignorantibus et invitis JCTis, invaluit. JCTi id quod de jure illo notum erat juri Romano adaptaverunt, mercatores vero Marte proprio jus suum constituerunt. Nihil igitur certi de historia literarum cambialium scire possumus, immo ne illud quidem nobis de origine literarum cambialium quaerentibus, quid demum quaerere nos oporteat, satis perspicuum est. Fuere nonnulli JCTi, qui illud jam sibi persuasum haberent, historicum studium proprie dictum, quod nempe omnes juris formas ex origine petit, ut ita illarum indolem explicet doceatque, quomodo rebus temporibusque volventibus mutatae atque excultae sint, in jure cambiali non ad bonum eventum perducere. Aliam igitur viam sunt ingressi, variisque legibus de jure cambiali cognoscendis et inter se comparandis ad verae ejus naturae scientiam perventuros se esse speraverunt. Verum et hic, cum aliis, nec minoribus, difficultatibus erat dimicandum. Nam apparuit tantam illarum legum inter se esse differentiam, quae non minoris tantum momenti res aliter aliae statuerent, sed vel in summa rerum inter se discreparent, ut omnis spes evanuerit fore, ut et illae quoque investigationes ad bonum exitum perducere possent. Quamobrem hac ratione, quam etiam unam rectam esse censet EINERT, usi sunt, ut ex ipsius negotii cambialis consideratione veram



eius naturam indolemque quaerent; sed hac in re, ut jam antea diximus, minus rectam viam ingressi sunt JCTi, naturam peculiarem literarum cambialium in eo strictiore et severiore jure quaerentes, quod rigor cambialis nominatur. EINERT hanc opinionem recte vituperat. Necessitate igitur adstringimur, ut aliam rationem quaeramus, quare literarum cambialium usus tam frequens tamque necessarius sit, ut literae illae jure venae mercaturae nominentur. Hoc inde manasse credit EINERT, quia literae cambiales quasi pecunia chartacea pecuniae numeratae locum in negotiatione mercatoria obtinuerunt. Illam igitur opinionem paullo accuratius enarrabimus, et quia nobis res magni momenti esse videtur, quaeremus, quid proprie velit EINERT, quum dicit, literas cambiales vicem pecuniae in mercatura explere, quae sint consequentiae, quas ex illa opinione duxit. In hac disquisitione simul, quatenam sint argumenta, quibus contra veteriorem opinionem, negotium cambiale ex diversis negotiis esse conflatum, usus est, videbimus, quia omnes alii JCTi, qui posteriori tempore de jure cambiali scripserunt, iisdem fere verbis veterem theoriam oppugnarunt.

Pecunia, uti EINERT dicit, ex frequentiori hominum inter se consuetudine, quasi necessario est orta. Illud et PAULUS <sup>1</sup> eleganter docet hisce verbis: “Origo emendi vendendique a permutationibus coepit; olim enim non ita erat numus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur sed unusquisque secundum necessitatem temporum ac rerum utilibus inutilia permutabat, quando plerumque evenit, ut quod alteri superest, alteri desit. Sed quia non semper nec facile concurrebat, ut, quum tu haberes, quod ego desiderarem, invicem haberem, quod tu accipere vel-

---

<sup>1</sup> L. I. Dig. de contrah. emt. (18. 1.)

les, electa materia est, cujus publica ac perpetua aestu-  
matio difficultatibus permutationum aequalitate quantitatis  
subveniret; eaque materia forma publica percussa usum  
dominiumque non tam ex substantia praebet, quam ex  
quantitate, nec ultra merx utrumque, sed alterum pretium  
vocatur.” Illa pecuniae inventione negotia multo majora  
frequentioraque sunt facta. Tunc necessitas est orta illam  
pecuniam signis literisque repraesentandi, et praesertim ex  
duabus his rationibus:

1<sup>o</sup>. Pecunia tantam negotiorum extensionem tantamque  
mercaturae frequentiam exstitisse, ut mox pecunia illa pi-  
rior facta sit et cum multitudine negotiorum aequalem  
gradum habere non potuerit.

2<sup>o</sup>. Pecuniam multis mutationibus ita degenerasse, ut  
ex eo, quod verum pretium pecuniae a pretio nominali  
multum differret, plurimae difficultates sint ortae, quo  
factum, ut mercaturae alio modo esset subveniendum.

Nam de illo dubitare non possumus, pecuniam pristinam  
suam naturam indolemque non servasse, quae scilicet ejus-  
modi essent, ut aliis negotiis contrahendis faciliorem praeberet  
modum. Nunc vero ipsa pecunia merx facta est, quod ex eo  
videre possumus, quod pecunia pecunia emitur. Inter omnes  
modos, quibus mercatores in hac rerum conditione mercatu-  
rae subvenerunt, ille inprimis magni momenti est, quod li-  
terarum pecuniae loco usus est inventus. Illud literas pecuniae  
loco habere literis cambialibus inter mercatores invaluit. Per-  
sonam privatam literis pecuniae loco uti posse, jam ex illa  
institutione argentaria sive mensaria, quam nos Bank vo-  
camus, nobis est perspicuum. Ita et persona privata facilem  
numerandi modum nanciscitur. Sane, multis in rebus ipsa  
respublica majorem securitatem praebet quam privati; nam  
pro debitis civitatis omnes cives tenentur, pro suis debitis



ipse tantum privatus; respublica ipsa non moritur, in privati vero hominis obligationibus saepe evenit, ut non eandem heredibus, quam viventi ipsi fidem habere possimus. Sed in aliis rebus privati, si literas pecuniae loco emitteere volunt, opportunitatibus utuntur, quibus ipsa respublica uti non potest. Civitas enim nisi tamquam persona privata agere velit, nullam aliam pecuniam repraesentare potest, quam ipsius civitatis, privati vero literas emitteere possunt, quae loco pecuniae aliarum civitatum habentur. Privatus signa loco pecuniae emittens, magis loci temporisque necessitatibus recipientiumque utilitati obtemperare potest. Quin nonnunquam majorem securitatem privati praebere possunt, incertis nempe tumultuosisque temporibus. Privatae personae obligationibus suis fidem praestare legibus cogi possunt; ipsam rempublicam ita cogere saepe difficillimum est, saepe ut cogatur ne fieri quidem potest. Si quis igitur tanta fide gaudet, ut et in remotis regionibus ei fides habeatur, nulla ratio est, cur non literas pecuniae loco emittendi facultas ei daretur, inprimis quum plures sunt fidejussores, qui pro eo intercesserint, et etiam obligati sint ad literarum solutionem praestandam, loco et tempore dictis. *Litterae cambiales, et nostris temporibus unice litterae cambiales trassatae, mercatoribus oportunitatem praebent, ut literis pecuniae loco utantur.* Haec est thesis, quam EINERT probare conatur, et fundamentum totius ejus systematis. Illud inprimis, ut ait, ex emtione venditione mercium (warenhandel) intelligitur, si scilicet videmus, quomodo in emtione venditione mercium utantur literis cambialibus mercatores. Emtor merces, quas emit, cambio solvit, et venditor cambio accepto sibi solutum esse existimat, antequam pecuniam pro cambio accepit, idque acceptum refert debitori. Merces tradit, literis cambialibus acceptis, nulla-

que amplius obligatio ex emtione venditione superest. Pretium venditor emtori non credit: de usuris nullus sermo est, neque traditione cambii, quod in tertium est conscriptum, ulla facta est cessio nominis, nec venditor tertium illum, loco emtoris, debitorem factum esse existimat. Nunquam quidem aliter agitur, sed hoc contra regulam generalem nihil probat, et mercatores illud ad exceptiones referunt.

Emtor mercium literis cambialibus solvit tribus hisce modis:

a. ipse literas in alium conscribit, quae trassatio dicitur literarum (het trekken van den Wisselbrief.)

b. literas, quas habet, in venditorem transfert, quae indossatio est literarum.

c. Jubet venditorem in se, vel ipsius nomine in alium literas emittere.

Si emtor ipse trassantis locum occupat, fieri potest, ut trassatus debitor sit emtoris. Sed illud raro evenit, plerumque enim in argentarium trahit; nam quo loco pecunia solvenda est, illic non semper debitorem habebit; locus enim ille saepe in gratiam venditoris constituitur. Hic igitur est casus, ubi debet trassare emtor in aliquem, cum quo antea numquam rem habuit, et qui ejus debitor non est. Curandum ei igitur est, ut ille literas suas velit acceptare, et illud plurimis modis consequi potest, inter alios etiam illo negotio, quod vulgo *wisselruiterij* vocatur, ubi trassans trassatum, ut suo nomine in alium locum trahat cambium, rogat. In illis igitur casibus raro et tamquam exceptione fit, ut trassatus trassantis sit debitor. Illud et in multis aliis negotiis videre possumus, praesertim et in illo negotio, quod cum argentario (bankier) contrahitur. Si cui literis cambialibus opus est, haec illi apud



argentarium sunt quaerendae. Argentarius semper magnam copiam literarum cambialium, quas emit, habet, in omnia terrae loca trassatarum, sed etiam semper paratus est, ut, unoquoque rogante, ipse trahat in loca, ubi re vera nullum habet debitorem. Literas facit argentarius, non ut ipse alicui solvat, sed ut aliis faciliorem solvendi praebeat modum. In illius negotio cambium ipsum est, quod petunt contrahentes, nec quidquam aliud petere possunt, quam ut illo ad solutiones utantur. Cambium tamquam merx venditur et idcirco mercis habere potest qualitates, quia faciliorem solutionis praebeat modum, ideoque ab omnibus petitur. Mercaturae quoque negotia, nostro tempore tam late distensa, nos ad opinionem adducunt, aliud quid esse cambium, quam nominis cessionem, qua debitori alius creditor vel creditori alius debitor substituitur. Opinio, quae contractum cambiale contractum esse perhibet inter trassantem et trassatum, ex verbis literarum ipsarum: *Velis* solvere (UEd. gelieve te betalen) est desumpta. Illis enim verbis mandatum expressum esse videtur. Videtur sane, sed revera non expressum est. Mandatum illis continetur literis, quae vulgo advijsbrief vocantur, sed si quis illa formula in cambio: “UEd. gelieve te betalen”, illud tantum vellet efficere, ut debitor debitum ei solvat certo loco et tempore, maximas in difficultates venire potest; nam jam ante solutionis diem actiones ex cambio ortae nonnumquam contra eum possent institui. Revera illis verbis: “solvere velis” aliud quid exprimitur, et eorum sententia est: soluturum me apud Titium polliceor. Illud intelligitur, si cambium proprium cum cambio trassato comparamus, et si viderimus, duo illa cambia formas diversas esse ejusdem negotii. Plerique JCTi hanc differentiam inter cambium proprium et trassatum esse censent: si

trassans ipse solutionem se facturum esse promiserit, cambium proprium est: sin vero alii solutionem facere mandaverit, cambium est trassatum. Hoc si tantum ad rei formam spectat verum est, sin vero ad negotii naturam, falsa est sententia, quamquam et leges et JCTi illi favent. Verum hac in re illud non animadvertere, crebro et illud cambiorum genus usurpari, quibus indicatur non ipsum trassantem, sed alium quemdam solutionem esse praestiturum, cambia scilicet propria domiciliata. Et, si formam omitentes de vera verborum sententia quaerimus illud nobis erit perspicuum, trassantem verbis: “me soluturum apud TITIVM polliceor nihil aliud dicere in cambio proprio domiciliato, quam in cambio trassato.” Nam ille, qui cambium trassatum emittit verbis: “solvere velis” illud quidem dicit, trassatum certo die solutionem esse praestiturum, sed praeterea addit aliquid, quod non in grammatica verborum significatione est positum. Promittit enim et fide quasi sua atque fidejussoris instar fore ut trassatus soluturus sit. Illa est certitudo, quam cambium trassatum ante omnia alia praebet, licere possessorem contra trassatum omni tempore ex jure cambiali agere, et hoc quidem ante diem solutioni praestitutum, ubi trassatus non acceptaverit. Inter mercatores, qui literis cambialibus tamquam merce utuntur, dubium non est, quin ita sese habeat. Si illud concedimus cambii trassati et proprii eandem esse naturam facile probabitur cambium et quidem imprimis cambium trassatum mercatoribus pecuniae esse loco. Eam enim ob causam literis pecuniae loco credimus, quia solutionis promissioni fidem habemus. Quodsi vero intelligimus cambium proprium non in usu esse, ubi mercatores inter se consentiunt literas cambiales pecuniae supplere vicem facile in errorem inducemur, illam mandati formam caussam esse,



quare cambio trassato in mercatura vulgo uti soleant. Sed simulac probatum est, cambium proprium ejusdem esse naturae ac trassatum, ad aliam sententiam adducimur. Et in cambio proprio et in trassato, trassans se ad solutionem obligavit. Hoc verbo: “solvam” et his, “faciam ut solvatur” plane idem significatur. In cambio trassato vel et hoc usu venit, ut trassans promittat alium quoque pro solutione se obligaturum esse. Illa promissio fidejussio est, quae possessori majorem praebet certitudinem, quia fidejussor erga eum in solidum obligatur. Cambium igitur trassatum cambii proprii magis perfecta est forma, et ea sola causa est, quare mercatores cambio proprio non utantur. In cambio proprio quoque obligatio trassantis ad solvendum omnis negotii est fundamentum. Promissa ejusmodi esse debent, ut firma stet apud omnes fides, solutionem dicto loco et tempore sine difficultate factum iri. Ad illam fidem confirmandam, severiorem juris formam multum efficere posse non dubitatur, sed non solus ille rigor efficiet, ut literae pecuniae loco usurpentur. Illud autem, obligationem, quae literis continetur, per omnium ire manus, ceteris obligationibus, quae inter singulos sunt, nihil in ea mutantibus, illamque obligationem cambialem jam tum vim habere, quum omnes aliae obligationes secundum juris civilis regulas extinguere necesse foret, numquam intelligere poterimus nisi illi sententiae assensi erimus, literas cambiales pecuniae loco esse.

Si privatus literas emittet, quas pecuniae loco vult haberi, publico instrumento leges atque conditiones, quibus illas emittit literas, inscribere debet. Illae vero leges non in hominis certi utilitatem literis inscriptae sunt sed valent ratione omnium ad quos illa res vel pertinet vel pertinebit, quasi in publicum aliquod mercatorium com-

modum sint adjectae. Illud enim peculiare est in promissione, quae literis cambialibus continetur, illam omnium detentorum causa, praesentum atque futurorum esse factam. In omnibus literis cambialibus hoc promittitur solutionem literis traditis esse secuturam. Nemo ad solutionem cogitur nisi literae traduntur vel certe ostenduntur. Si pars summae solvitur, summam literis inscriptam, illa parte imminutam esse in ipsis literis indicari oportet. Solutionem autem non nisi, quum literae adsunt fieri, ita explicari potest, solutionis promissionem literis ipsis esse factam, quae suum jus possessori tradiderint. Illud literas jus aliquod tradere, nihil novi est. Literis aditum in theatrum, multisque aliis modis jus nonnisi literis adipiscimus. Literis amissis vel perditis jus illud extingui solet; haud aliter si quis literas cambiales amiserit jus ejus extinctum est. Et quamquam hoc quidem concedimus, cambio amisso, fieri posse, ut ei, qui cambium amiserit, actio vel in trassantem vel in eum a quo cambium accepit supersit, jure tamen contendere possumus, actionem illam juris civilis non juris cambialis esse propriam. Hisce igitur rite perspectis hanc fere naturam literarum cambialium esse credimus: Cambii trassati natura est, ut in negotiis mercatorum pecuniae loco solutionibus inserviat. Ad illum usum accomodatur, promissione trassantis, se literis traditis, certam pecuniae summam, genere, tempore et loco in literis enunciata esse soluturum, et ita quidem, ut promissio illa non singulis, sed universis (het geheele publiek) facta esse existimetur, ita ut unusquisque literarum possessor promissionem sibi factam esse putet. Ad illam opinionem adducimur si jus, quod ex promissione illa nascitur jus in re, literis inhaerens, censemus, quod in sermone cambiali (wisselstijl) verbis: his literis traditis solvam vel solvendum curabo (tegen



dezen wissel te betalen of te laten betalen) significatur. Contractus igitur cambialis, hoc sensu, ut perficiatur duorum pluriumve in idem placitum consensu non est. Literis cambialibus unilateralis obligatio continetur, promissio, quam unusquisque sibi factam existimare potest. Si libro optime scripto premium quoddam promittitur, illi quidem solvitur premium, qui optimum librum conscripserit, sed nemini videbitur promissionem illa ad obligationem reducenda ut ita probemus, illum, qui librum expostulaverit, promissione sua esse obligatum.

Haec igitur est EINERT, vir doct. de natura literarum cambialium opinio. Ex iis quae supra diximus intelligetur, recte sententiam ejus Belgice hisce verbis esse expressam: "De wissel is het papieren geld des handels." Jam vero breviter videamus, quamobrem sententiam de contractu cambiali, quam Codex noster et Code de Commerce Francicus consentientibus, pleri Jctis secuti sunt, vituperet.

Uti jam superiori loco vidimus, inter trassantem et trassatum mandati obligatio adesse credebatur. Illam sententiam falsam esse, EINERT contendit. Et quidem non negat, fieri posse, ut obligatio sit inter trassantem et trassatum, sed naturam illius obligationis ex variis causis mutari posse, et minime semper obligationem mandati esse contendit. Natura enim negotii plane alia fieret, si exempli gratia, debitor ipse creditorem rogaverat, ut cambium in se traheret. Sed etiam fieri potest, et illud in plerisque cambiis, quae altero jubente (voor vreemde rekening) trahuntur, evenit, ut cambia trahantur nulla obligatione inter trassantem trassatumque interposita. Tum enim trassans numeranti acceptationem et solutionem promittit, quia credit dicto alterius, qui eum cambium trahere jussit. Et licet sententiae assentiri velimus contractum esse inter trassantem et trassatum,

tamen ille contractus negotii cambialis non est pars, sed potius negotii cambialis quasi exordium. Si autem credimus mandati obligationem esse inter trassantem et trassatum, ex illa obligatione actio mandati directa et mandati contraria nasceretur. Trassans igitur, qui literas a trassato acceptatas sed non solutas solverit, literas trassato exhibere poterit, eumque cogere, ut sibi solvat, quod ipse literis non solutis solverit. Condemnaretur igitur trassatus in id quod interest, quia non solvit. Invicem etiam trassato, literis solutis, actio mandati contraria esset tribuenda et de exceptionibus a trassante allatis, veluti se solutioni providisse aliisque, separato iudicio esset iudicandum. In Saxonia duae illae actiones non tribuuntur. Suprema curia iudicavit trassantem, literis cambialibus solutis, nullam habere actionem ex jure cambiali in trassatum, nec quisquam prudens contendet, ex literis cambialibus solutis actionem juris cambialis mandati contrariam trassato in trassantem manere. Illud enim totum negotium tolleretur, si trassato, perfecto negotio cambiali, actio in trassantem maneret, cui difficillima incumberet probatio se solutioni providisse.

Contractum antecedere inter trassantem et numerantem etiam EINERT negat. Contractus ille, ut supra diximus, talis est, ut trassans promiserit pecuniae summam, quam a numerante acceperit, alio loco se redditurum esse. Quare etiam tamquam essentielle literarum cambialium requiritur, ut illis expressis verbis indicetur, trassantem accepisse pretium (valeur fournie). Illius rei ratio datur hisce verbis: "S'il n'y avait pas une indication de la valeur reçue il n'y aurait pas contrat de change, parcequ'il n'y aurait pas presumption de la cause à l'engagement." Quodsi vero fieri potest, ut cambium sit, nullo tali contractu antecedente, opinionem illam de contractu cambiali tollere necesse erit.



Idque facile usu venire potest; nam nulla est ratio, quare mihi non liceret tibi cambium donationis causa dare. Jam **FREMERY** vir. celeb. illud animadvertit, quum dicit<sup>1</sup>: “la loi punit l’absence d’énonciation de valeur, mais nullement la fausse énonciation. On dit aujourd’hui impunément, valeur reçue en marchandises, valeur en compte, lors même, qu’il n’en a point été fourni. Cette disposition de l’édit de 1673, reçue par continuation dans notre Code, et consacrée par la jurisprudence produit des maux réels sans faire aucun bien.” Neque aliter **MITTERMAIER** vir cl. legislatores Francicos vituperat, contendens, illos commodis mercaturae male consuluisse ac potius Ictorum **POTHIER**, **SAVARY**, **JOUSSE** aliorumque opinionibus quam verae rei naturae obtemperasse. Maxime vero opinio illa de contractu cambiali falsa est, quia negotio cambiali alia miscet negotia, quae cum illo nullam habent affinitatem. Si Titius a Sempronio rem emerit, et Sempronius ob hanc rem in Titium trahit, vel si ego a te mutuam acceperim, et tu mihi pecuniae loco literas cambiales dederis, inutile et inane est credere, illud mutuam illamque venditionem partem esse contractus cambialis. Quin mercatoribus literae cambiales nullam praeberent utilitatem, si contendi posset literas cambiales nihil valere, quia non idonea fuerit ratio illas trahendi. Insuper etiam semper in fraudem legum illius generis agetur, quia mercatores omnia sua negotia ita patefacere oderint.

Illud etiam perperam requiri censet **EINERT** literas cambiales ex uno loco in alium trassari oportere. Et quum **POTHIER** dixerit “cette remise d’un lieu à un autre est ce qui constitue l’essence du Contrat de Change,” **EINERT**

---

<sup>1</sup> Etudes de droit commercial.



minime illud oportere censet. Jam PERSIL recte quaerit: “Quelle sera la distance rigoureuse entre le lieu d’où la lettre de change est tirée et celui où elle est payable.” Hujus rei, veluti antequam Codex mercatorius viguit in Francia statutum erat, literas cambiales in eum locum trassari oportere, in quo cambii rationes exigebantur (de place en place), idoneam causam afferre possumus, sed quare et illas ex tali loco trassari oporteat, a nemine profecto intelligitur. Recte igitur Codex mercatorius Francicus regulam illam sustulit, sed illud quod in ejus locum venit perperam statutum est, non solum, quia difficile est ad observandum, sed etiam, quia nullam veram utilitatem habet. PARDESSUS, vir celeberr. practicam illius loci utilitatem indicare conatus est — “autrement, ait, les chances diverses fondées sur l’abondance et la rareté de la monnaie, la plus ou moins grande étendue des besoins, les risques plus ou moins considérables dans le transport, que nous avons indiqués comme les principaux élémens du cours de change n’existeraient plus.” Sed si loco aliquo literae, quae in eundem illum locum sunt trassatae, venduntur, et ita in alium locum pervenerunt, eadem praebent commoda, ac si in alium locum essent trassatae. Non enim omnes terrae percurrunt regiones, quia in alias regiones sunt trassatae, quam ex quibus profectae sunt, sed quia pecuniae loco sunt, ideoque ab omnibus gentibus usurpantur. Revera igitur illud, quod in alium locum trassatur, non essentielle est literarum cambialium, idque jam maxime inde apparet, quod illud non omnibus legibus Germaniae necessarium est visum. In Gallia illius rei ratio magis historica esse videtur. In Ord. 1673 non illud statuebatur literas cambiales ex uno loco in alterum trassari oportere, sed omnes Jcti de eo consentiebant, illud necesse esse, quod igitur universe

credebatur <sup>1</sup>. “L’ordonnance n’avait pas établi comme caractère distinctif de la lettre, la condition qu’il y ait remise d’argent d’un lieu à un autre, c’est à dire que la lettre soit payée dans un autre lieu, que dans celui où elle a été créée, mais l’opinion unanime des Jurisconsultes avait fixé la Jurisprudence sur ce point.” *Tribunatus rogavit*, ne *illud in futuro exigeretur*: “Ce mode de remise de place en place, est devenu une vaine forme, une espèce de faux de convention, d’un très dangereux exemple. Au fond on ne voit aucun motif solide dans la nécessité de remise de place en place. La lettre de change est de sa nature une subrogation de la part d’un particulier en faveur d’un autre au droit qu’il a ou qu’il aura de faire remettre une somme de la part d’un tiers de suite ou à une époque convenue. Ce contrat exige-t-il pour sa perfection la forme illusoire de remise de place en place? D’ailleurs il est aisé de sentir que ce formulaire nuit à la rapidité du commerce; qu’il entraîne des déplacemens et des frais.” *Illa autem opinio rejecta est*: “Le Conseil d’Etat n’a pas du avoir égard à ces objections; il est évident, qu’on eût anéanti la lettre de change, si l’on eut supposé, qu’il en peut exister sans qu’il y ait remise de place en place. Quand cette condition manque, la prétendue lettre de change, devient un simple mandat. En effet ces sortes de lettres ont toujours pour base le contrat de change, et n’en sont que le moyen d’exécution; comment donc pourrait-on donner la qualification de lettre de change à un papier, qui ne serait pas le résultat de ce contrat.” *Illam vero argumentationem falsam esse facile intelligitur. Nam inquisitionibus de natura literarum cambialium adducti sunt Jcti, ut contractum cam-*

---

<sup>1</sup> LOCRÉ I. p. 333.



bialem sibi fingerent, et jurisprudentiae esse illis videbatur cambii naturae obligationis formas attribuere. Igitur doctrina de contractu cambiali ex natura cambii peti debet. Illud autem non cambii proprium est, ut opinio de ejus natura ad peculiare formas instituendas duxerit. Ita et pactum hypothecae ex natura juris hypothecarii est desumptum. Argumentatio vero consilii Gallici plane contraria via est ingressa. Nam ex contractu cambiali, quem, ut probaretur, ex natura cambii peti necesse erat, naturam ipsam cambii probare voluerunt, et vel hodie ex doctrina de contractu cambiali in Gallia natura et usus literarum cambialium probantur.

Falsas etiam de indossamento habuisse opiniones veteriores JCtos EINERT censet. Indossamentum cessio nominis esse credebatur, illudque theoriae de contractu cambiali erat congruum. Duo erant genera indossamenti, indossamentum in vim mandati et indossamentum in vim cessionis. Cessio locum habebat, si indossamentum secundum regulas lege definitas scriptum erat, quae si minus observatae essent, tantum vim mandati habebat. In illa re differt cambium ab aliis literis, quae pecuniae loco sunt, magnoque impedimento ne facilis ejus sit traditio obnoxium est, quin opinio, qua cambia mercatoribus pecuniae loco esse censentur, non facile defendi posset. Sed et alia est indossamenti forma, qua hujus natura valde immutatur, indossamentum nempe, quod in blanco dicitur, ubi indossans nomen suum tantum in dorso cambii scribit. Illa est antiquissima forma; nam omnibus locis ubi lege non est sancita, tamquam jam res antiqui moris interdicitur, quod ex legis verbis facile intelligetur <sup>1</sup>. Sed in omnibus civitati-

---

<sup>1</sup> Ord. de la Marine; Leips. Wechsel-Ord. § 4, "das Giro in blanco solle



bus illa indossamenti forma invita lege crebro usurpatur, et quidem in Gallia vigente Ord. A. 1673 mercatores saepe ea utebantur <sup>1</sup>. Illud indossamentum vero neque cessionem neque legitimationem efficere potest. Nam prima est cessionis conditio, ut ejus nomen indicet, cui cedatur, neque legitimationem cogitare possumus, quae ejus nomen, qui illam sibi vindicare possit, non indicet. Ille, qui indossamentum in blanco scripsit, illud quidem affirmat, se possidere desiisse, sed ille, qui cambium ab eo accepit, ex ea indossamenti forma probare nequit possessionem ad se transiisse. Itaque indossamentum in blanco forma est, quae illud efficere non potest, ut jura in alium transferantur; possessionem igitur cambii alio modo tradi necesse est, et hoc quidem fit non scripto, sed sola traditione. Inde sequitur cambium, cui indossamentum in blanco inscriptum est, eandem habere vim, quam si in eo verba “aan toonder” legantur. Quodsi indossamentum non cessio est, quamnam tandem habet vim in negotio cambiali? Indossamentum fidejussionem parit. Id a veteribus quidem agnitum est, sed illis non erat praecipua indossamenti qualitas, ut fidejussionem pareret; EINERT vero credens indossamenti naturam non esse, ut nominis cessionem efficiat, unam tantum ex eo obligationem et quidem fidejussionem nasci putat.

---

gänzlich abgeschafft sein, vielmehr solle der Geber des Wechselbriefs den Giro, wie sich's gebührt, völlig und mit ausdrücklicher Benennung der Zeit, wenn derselbe geschrieben zu compliren schuldig sein.

<sup>1</sup> Cf. PERSIL, p. 208 “Le commerce ne se conforme pas toujours aux dispositions rigoureuses des art. 137 et 138; l'endossement en blanc défendu par le législateur, circule encore sur les places et les tribunaux ne le condamnent pas toujours.” Qui etiam dicta a HORSONS laudat: “grâces aux habitudes invétérées des uns et à l'ignorance des autres, l'usage des endossements en blanc a prévalu dans les classes inférieures du commerce et la volonté de la loi est venue échouer devant la force de la routine.”

§ 2. *De doctrina pro qua propugnat LIEBER.*

Ab illis vero doctiss. EINERT opinionibus nonnulli Germaniae docti viri dissenserunt. In his LIEBER, vir doct. in primis est nominandus, qui et in nonnullis rebus ab EINERT dissentit, et ipse suas opiniones de natura literarum cambialium professus est<sup>1</sup>. Literas cambiales pecuniae loco fungi haud magni esse contendit, nam illud de omnibus nominibus dici posse. Eatenus et illi sententiae, literas cambiales pecuniae loco esse, assentiri possumus et tamen nobis persuasum habere, literas cambiales contractus cambialis esse documentum. Et illud, nos literis cambialibus solutiones facere posse, non argumento est illas pecuniae loco esse, uti literas argentariorum (bankbriefjes). Pecunia, vel illis instrumentis, quae pecuniae loco sunt, traditis, nulla obligatio manet inter cedentem et eum, qui pecuniam acceperit; in traditione vero literarum cambialium is, qui eas tradidit, obligatus est donec ipsa obligatio, quae literis continetur, sit extincta. Opinio quoque, quam EINERT de indossamento professus est, minus vera esse videtur. EINERT indossamentum fidejussionem tantum, non traditionem efficere existimat. Illud probare conatus est ex illa tantum indossamenti forma, quae indossamentum in blanco dicitur. Sed non omnia indossamenta in blanco sunt, sed pleraque perfecta formula scripta. Si perfectum indossamentum literis cambialibus inscriptum est, non pecuniae loco sunt, nam simplex traditio non sufficit ad dominium earum transferendum, quia certus homo quidam indicatur. Quin etiam si indossamentum in blanco inscriptum est,

---

<sup>1</sup> Motive zum Braunsch. Entw. einer Wechselord. im Archiv. für Civil. Praxis.



traditio quidem sufficit ad dominium transferendum, nec novo indossamento opus est, sed primo illo indossamento dominium translatum est, et si illud indossamentum non factum esset, prior indossatus idem adhuc dominus foret. Quod attinet ad EINERT sententiam, obligationem acceptantis fidejussionem esse, illa quoque minus vera videtur. Nam fidejussor eo tantum casu ad solutionem cogitur, si debitor principalis non solverit; in acceptatione vero literarum cambialium contrarium usu venit; ibi enim acceptans ante trassantem ad solutionem tenetur, et trassans tantum solvere debet, si trassatus vel acceptans non solverit. Illi igitur sententiae et hoc objicere possumus argumentum, quo multi contra alias de contractu cambiali opiniones usi sunt, veram fidejussionis naturam exceptionibus ita esse mutatam, ut fidejussionem proprie dictam in illo acceptantis negotio vix agnoscas. LIEBER tamen hac in re EINERT adsentitur, quod veterem illam de contractu cambiali opinionem rejiciat, et omnes obligationes cambiales, trassantis, acceptantis, aliorumque, unilaterales esse censeat. Scriptura, non consensus contrahentium, obligationem efficit. In multis autem partibus ab EINERT plane distinctam theoriam docet. Omnia negotia, ex quibus obligationes nasci possunt, in duo genera, formalia et materialia, dividit. Materialia sunt, in quibus id quod spectatur sive consensus contrahentium obligationem parit. Formalia, ubi obligatio ex forma tantum nascitur, ubi non id quod spectatur, sed certum factum, lege vel consuetudine definitum, parit obligationem: quales sunt in Jure Romano stipulatio et literarum obligatio. In illis enim obligatio ex interrogatione et scriptura nascitur, ita ut de consensu contrahentium non quaeratur. Eadem prorsus est natura literarum cambialium. Unusquisque, qui nomen suum in literis cambialibus in-



scripserit, scriptura ipsa obligatus est; qualis autem illius obligationis sit ratio, sive in cessione, vel in mandato aliis-ve sit posita, nihil refert. Literae cambiales quidem trassantur et acceptantur, ut propositum aliquid perficiant contrahentes; illud autem cum negotio cambiali nihil commune habet. Scriptura tantum obligat, et omnes qui negotii fiunt participes semper singuli eodem modo obligati sunt, sive mandatum sive donationem sive mutuum aliave sibi propositum habeant. Trassans numeranti vel alteri, qui jus ab eo acceperit, se vel alterum ejus loco soluturum esse promittit. Acceptans non mandatarius esse creditur, neque fidejussor, uti EINERT existimat; ejus obligatio magis adpromissioni similis est, qua alienae obligationi accedit. Indossamento tamen literae traduntur, et simul cum traditione fidejussio nascitur, quae orta est ex veteriori consuetudine, qua, si quis literas cambiales tradere voluisset, novum cambium contrahere deberet, ita ut cuivis veteri cambio novum adjiceretur.

§ 3. *De sententia v. doct. THÖL.*

Doctrinae, quam THÖL vir doct.<sup>1</sup> protulit, universe quidem cum EINERT sententia congruit. Literae cambiales, ait, et ea instrumenta, quae pecuniae loco sunt, universe ejusdem sunt naturae, sed in specie inter se differunt. Illud discrimen in hoc positum esse THÖL videtur, quod literae cambiales quidem obligationem pariant, quae nihil commune habeat cum negotiis, propter quae dantur, sed inter cedentes tamen obligationes manere, de quibus in traditione aliorum

---

<sup>1</sup> Entwurf einer Wechsel-Ordnung für Mecklenburg, nebst Motiven. Rostock, 1847.

instrumentorum, quae pecuniae loco sunt, numquam sermo esse possit.

§ 4. *De lege cambiiali quae hodie in Germania viget.*

Lex Germaniae, quae vulgo vocatur “Allgemeine Deutsche Wechsel-Ordnung”, ex omnibus illis opinionibus aliquid desumsit. In plerisque partibus LIEBER, viri doct. opiniones secuta esse videtur. Illa lex non sicut nostra definitionem habet literarum cambialium, sed tantum illa quae essentialia vocantur cambii enumerat <sup>1</sup>. Ex singulis vero articulis et ex explicationibus literas cambiales in ea lege contractum unilateralem, forma tantum obligantem (formal-akt), parere intelligitur. De contractu peculiari inter trassantem et numerantem et inter trassantem et acceptantem non agitur. Non negat quidem, fieri posse, ut variae sint obligationes inter illos, propter quos literae cambiales traduntur vel acceptantur, sed obligationes illas cum literis cambialibus nihil commune habere censet. Trassans non numeranti solum acceptationem et numerationem promittit, sed omnibus eo sensu, ut cuique justo possessori de acceptatione et numeratione obligatus sit. Neque in illo nostrae legi assentitur, quatenam sint essentialia cambii, literae semper ex uno loco in alterum ut sint trassatae non requirit, neque oportet semper in illis inscriptum esse, trassantem pretium accepisse. Quod autem nostra lege non jubetur, ut literis cambialibus semper verbum *cambium* sit inscriptum, lege Germanica sancitum est <sup>2</sup>.

---

<sup>1</sup> Abschnitt, II, Th. I, § 4.

<sup>2</sup> Eod. § 4. 1. “Die im Wechsel selbst auf zunehmende Bezeichnung als Wechsel oder wenn der Wechsel in einer fremden Sprache ausgestellt ist, ein jener Bezeichnung entsprechen der Ausdruck in der fremden Sprache.”

Apud nos VISSERING, vir cl. librum conscripsit<sup>1</sup>, quo nostrae legis opiniones vituperat et Germaniae JCtis quod ad summam assentitur. Ejus opiniones fere hujusmodi sunt:

Cambium non contractu nititur cambiali, ut in lege nostra contenditur, quamquam per occasionem negotii cambialis, emtiones-venditiones, mandata, mutua fieri possunt, quae tamen cum illo nihil commune habent.

Cambium non plane mercatoribus pecuniae loco est, quamquam literis cambialibus quaedam sunt tribuenda, quae et pecuniae sunt propria.

Cambium autem peculiarem efficit contractum, nihil commune habentem cum aliis contractibus ex quibus ortus est vel qui ex eo oriuntur; literarum est obligatio ad certam pecuniae summam certo loco et tempore solvendam.

Obligati sunt omnes, qui nomen suum cambio inscripserint, in solidum, illo excepto, ut non adversus eos, qui postea scripserint, actio competat.

Contrahitur obligatio cum omnibus possessoribus, qui et ipsi certo modo obligantur.

Omnes autem scriptura tantum obligantur.

Possessor omnes obligatos liberat, si summa loco et tempore propositis secundum cambii scripturam numerata est. Sed si probaverit possessor, scripturae non satisfactum esse, ipse et post eum omnes alii contrahentes actionem in debitores in solidum habent, ut ei summa cum damno et usuris solvatur.

---


<sup>1</sup> Het Wisselregt der XIX<sup>e</sup> eeuw, naar aanleiding van de Allgemeine Deutsche Wechsel-Ordnung. Cum hocce viri clarissimi opere conferri merentur quae scripsit v. doctiss. J. C. KIST, de eodem argumento in Themis, 1849, p. 79—113.



---

---

T H E S E S.



I.

Sententia, qua literae cambiales considerantur ut documentum de contractu cambiali quodam antecedente, minus vera mihi videtur.

II.

Contractus inter trassantem et trassatum non mandatum esse videtur.

III.

Literarum cambialium naturae congruum esse videtur, ut ex uno loco in alium locum sint trassatae.

IV.

Trassatus, qui recepta epistola advisoria literas acceptavit cambiales cum falsa trassantis subscriptione, tenetur ad solvendum.

V.

L. 3 Cod. de acq. poss. non intelligenda est de donatione sub auctoritate tutoris facta.

VI.

Ad acquirendam possessionem Jure Romano non opus erat animus domini, sufficiebat animus possidendi.

VII.

Inter unius rei principalis complures fidejussores jure Romano nullus nexus civilis est.

VIII.

Art. 2. al. 3. Alg. Bep. praesumptio juris et de jure habenda est.

IX.

Uxor quae invito marito communem domum reliquit jure nostro per vim cogi potest, ut in illam revertatur.

X.

Poena exilii non est admittenda.

XI.

Ebrietas poenam delinquentis minuere atque in nonnullis casibus excusare debet.

XII.

Poena art. 386 a. 3. C. P. nimis gravis videtur.

XIII.

Ut infanticidium adsit, non requiritur, ut infans natus sit vitalis (viable).

XIV.

Res immateriales (onstoffelijke goederen) non ad divitias sunt referendae.

XV.

Rationes, quibus H. C. CAREY, Vir Cl., leges prohibitorias defendere conatus est, minime probo.



---

---

**CONSPECTUS.**

---

**CAPUT I.**

**PRAEMONITA DE JURE CAMBIALI UNIVERSE.....Pag. 1.**

**CAPUT II.**

**ANTIQUIORES DE NATURA LITERARUM CAMBIALIUM OPINIONES. " 5.**

**CAPUT III.**

**RECENTIORUM DE NATURA LITERARUM CAMBIALIUM DOCTRINA. " 22.**

---

